

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Ivs Comitiorvm S.R.G.I. In Interregno


**Ayrer, Georg Heinrich
Strube, Julius Melchior**

Gottingae, [1746?]

VD18 1276969X

Farbkarte

urn:nbn:de:gbv:45:1-17499



B.I.G.

Farbkarte #13

Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Lectori benevolo

S. P. D.

GEORG. HENR. AYRER D.

Quantuis non blando Te alloquio inuitandum allectandumque esse putem, Lector beneuole, ad perlegendum scriptum, quod semet ipsum & argumenti dignitate, & apta elegantique tractandi illius ratione, & doctrinae rerumque exquisitissimarum copia iam satis potest commendare; haud aegre tamen, uti quidem spero, feres, si, antequam ulterius progrediendo desiderio Tuo satisfacias, in ipso lumine tantisper Te morer, cum ut Tibi de Auctoris doctissimi laudatissimis studiis, tum ut huic ipsi quoque de propensissima voluntate mea plenius constet.

Dum autem commentationi Academicae, nuper in nostra Georgia Augusta natae & propediem publice disputandae, praefari animus est, incido forte, boni haud dubie ominis caussa, in *Anecdota Boineburgica*, quorum eximium thesaurum, hucusque reconditum, Vir Perill. IOH. DAN. CAUBERVS, per *Commercium epistolicum Leibnitianum*, ipsius cura eruditis omnibus pergrata concinnatum publicique iuris factum, nuper magno reip. literariae emolumento reclusit. Retinet me inter illa varietate & suauitate sua epistola CCCXXV. in qua HERMANNVM CONRINGIVM ad summi id temporis Musarum patroni, L. B. de BOINEBURG, literas Helmstadio Moguntiam ita rescribentem deprehendo: *Binnio praeside habita quidem est disputatio quaedam de rep. principatum Germaniae, sed nequaquam Binnio auctore conscripta. Auctor est iuuenis doctus.*

X 2

Quibus

